

fibulam habebat, quam, ut & cuspides columellarum K & L, per chartæ duplicatæ, tria foramina ita transmittebamus, ut lagenulam D E à lapsu leviter tueretur, & econtrâ, sursum attractâ fibulâ C, unâ cum obturaculo removeri posset, cùm spiret opus, atque adeò lagenula sibi jam relicta everteretur, spiritum fumantem ex voto nutuque nostro effundens. Toti huic machinulæ superimposuimus more solito campanam, sed supernè perforatam, quam supra num. VI. descripsimus, immisso decenter fili ferrei unco in fibulam obturaculi C; &

Phæn. XIII. sic paratis omnibus antliam decenter accommodavimus, tandemque post haustûs complures experimento, ut opinabamur, sufficientes, attracto sursum filo ferreo B A C, lagenulæ aperturam lapsumque procuravimus, oculis ipsis jam videntes effusum inde spiritum satis copiosum licet, in vase ferè vacuo tantillum quidem fumi emittere, sed vix centesimam ejus partem, quem aliâs effundere una & altera guttula solet: Adaperto verò epistomio M N & admisso novo aëre, spissa confestim & albicans fumi nubes omnem campanam undiquaque opplevit, jucundissimo sanè spectaculo atque eò magis grato, quò minus inexpectatum nobis acciderat. Gestiebat porrò animus antliâ denuò exercitatâ experiri, numquid fumosa nubes hæc (uti quidem conjectabimus) inferiora rursus esset petitura; sed, quia vis ejus corrosiva ignota nobis haut erat atque adeò metuendum, ne, cum aëre exhausto ad valvulas seu ventilia antliæ unâ penetrans, ea corroderet, ab hoc experimento capiendo nobis fuit abstinentium.

XVI. Aliud tamen ejus loco tentare subiit animum. Nimirum, posteaquam frustilla quæpiam cornu cervi adiusti, eboris fossilis, ac terræ sigillatæ intra patellam quandam aquæ submerseramus cui liber incumbebat aër, & observaveramus attentè, quas bullas eorum quodlibet ex imo sursum exploderet, & quâm celeriter terra sigillata à subeunte aqua dissolveretur; mox aliis hisce similibus & proximè aqua-